

que illa distinctione naturalium & industrialium tribuit. Ita enim diferte VLPIANVS: *f) de fructibus quoque videamus, si ex fructibus praediorum, quae donata sunt, locupletata sit, an in causam donationis cadant?* et IULIANVS significat, *fructus quoque, ut usuras, licitam habere donationem.* De usuris enim paullo ante *g)* haec scripserat: *Si maritus uxori pecuniam donauerit, eaque usuras ex donata pecunia perceperit, lucrabitur.* Haec ita IULIANVS in marito Lib. XVIII. *Digestorum* scribit: Denique minus apta videtur verborum finalium loci nostri interpretatio. Nam si quemlibet bonae fidei possessorem non generaliter & simpliciter intellexisset POMPONIUS, hoc sensu, ut quae antea de coniuge donataria dixerat, ad omnem cuiuscunque rei bonae fidei possessorem produceret, eique coniugem donatariam adiungeret, quasi omnes eodem iure utentes, sed potius ea POMPONII mens fuisset, ut adfereret tantum, non modo coniugem donatariam fructus naturales sibi non acquirere, sed nec eum, in quem ista coniux aut fructus hosce, aut ipsum fundum donatum *b)* transmitteret, quid quaeso opus fuisset ista lacinia? Nam quum manifesti iuris sit, posse neminem plus iuris acquirere, quam quod habuit auctor, dubitari de ea re plane non poterat. Neque scio, an genio linguae repugnet, ut verba illa: *uti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris absolute posita, ita restringas, ut subintelligas, vel rei donatae, vel fructuum mere naturalium?*

§. VI.

*f)* in L. 17. D. pr. de donat. inter virum & uxorem.

*g)* in L. 15. §. I. D. d. t.

*b)* Prius FRICKIO Consultissimo, posterius CHARONDAE placuit.